

ideò nostra gaudet natura. Accipite ergo nubem quam priores vos capere iusserunt, & cum suo coquite corpore, donec stannum fiat. Et secundum consuetudinem à sua mundate nigredine, abluite, ac æquo affate igne donec dealbetur. Argento autem vivo gubernato omne corpus dealbatur, natura namque naturam convertit. Magnesiæ igitur accipite, & aquam aluminis, & aquam nitri, & aquam maris, & aquam ferri, fumo dealbate. Eò quod fumus ille albus est, & omnia dealbat, quo fumo quicquid cupitis dealbari, dealbatur. Illum igitur fumum suæ feci miscete, donec coaguletur, & nimium album fiat. Hoc album æs affate donec seipsum geminare faciat, quoniam magnesies cum dealbatur, spiritus fugere non dimittit, nec æris umbram apparere. eò quod natura naturam continet. Accipite ergo omnes doctrinæ filij, album sulphureum & sale & rore, dealbatæ vel albi salis flore, donec nimium album fiat. Et scitote quod salis albi flos est Ethel de Ethelia. Affate ergo ipsum per dies septem donec fiat, ut marmor coruscans, eo quod cum ita fit, maximum est arcanum, quoniam sulphur sulphuri mixtum est, & factum est inde maximum opus propter propinquitatem inter se, eo quod naturæ suæ obviantes naturæ lætantur. Accipite ergo Mardeck, & dealbate ipsum per gadenbe, id est, urinam, & acetum, & aquam permanentem, affate, & coagulate donec non liquefiat in igne fortiore suo, igne priore, & vasis os fortiter cooperite, ne flos fugiat, & suum propinquum secum teneat, & eius albedinem incendi faciat, & cavete ignis incensionem, quoniam si incendatis ignem ante terminum rubeum fit, quod nihil vobis prodest, eo quod in initio regendi vultis album. Deinde coaguletis ipsum, deinde rubeum facitis. Et sit ignis vester lenis in dealbando donec coaguletur. Et scitote quod cum coagulatur, nos vocamus ipsum animam, & quod tunc citius, à natura in naturam convertitur. Hoc igitur de nummorum arte est sufficiens, rationem habentibus, eo quod res vna facit, quod & plures operantur. Pluribus autem rebus non indigetis nisi una re, & illa res in unoquoque gradu operum vestrorum in aliam vertitur naturam. Inquit Turba, Magister si prout Sapientes dixerunt, diceres, & breviter ipsos quos video nolle ad totum tenebris separari, vos sequerentur.

*Lapis
nubor ante
albedinem.*

Sermo